



185
779, 14.

AN
PROMISSIO DE LEGATO
RELINQVENDO IVS ALTERI
TRIBVAT

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISVVRGENS.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

DIE XV. MAII. ANNO MDCCCLXXXIX.

DISPVTABIT

CAROLVS AVGVSTVS HERRMANNVS

CHEMNITIENS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

AN
PROMISSIO DE LEGATO
REINQUENDO IUS ALTERI
TRIBVAT

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PUBLIC. ORDINAR. IUR. NAT. ET GENIT.

ET SOCIETAT. LITTEAR. PALESTRICENS.

S O C I O

IN A V D I T O R I O I V R I D I C O

Die XV. MAII. MDCCCLXXXIX.

DISPVLTAT

CAROLVS AVGVSTVS HERRMANNVS

CHEMNICENSIS

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEIMERI



A N
PROMISSIO DE LEGATO
RELINQUENDO ALTERI IUS TRIBVAT



§. I.

Quamuis Romani *pactis* negabant civilem obligationem, seu potius obligationis effectum, id est, actionem ad consequendum id, quod pacto promissum erat; tamen naturalem obligationem nunquam negarunt, imo potius putarunt, graue esse, fallere fidem. Factum hinc est, vt, ni formularium ius seu strictum impediret, praetor pacta seruaret dando exceptionem, interdum adeo suo edicto confirmaret, vt exinde actionem daret. Fuere tamen pacta Romanis plane improbata, atque illicita, quaeque nullam plane obligationem producebant. Inde PAPI-
NIANVS in L. 38. II. de *pact.* scribit. *Ius publicum priua-*
torum

torum pactis mutari non potest. Inde inferebant *pacta successoria* legibus non comprobari nec obligationem nec ius producere. Nos quidem, qui a maioribus nostris magis adfueti sumus ad naturalem simplicitatem, illudque ius sequimur, quod dictamen rectae rationis praecipit, pactis perfectissimam civilem quoque tribuimus obligationem, ut ex iis omnino actio concedatur. Non tamen negandum est, nonnulla pacta, quae quidem naturali lege non prohibentur, etiam nostro iure non comprobari, ut exinde obligatio et actio nascatur.

§. II.

Diximus, Iure Romano successoria pacta non comprobari. Est quidem exceptio, quam vulgo adducunt in *Rescripto* DIOCLETIANI ET MAXIMIANI quod *L. 19. C. de pact.* exhibet. Verba sunt: *Licet inter priuatos huiusmodi scriptum, quo comprehenditur, ut is, qui superuixerit, alterius rebus potiatur, ne donationis quidem mortis causa gestae efficaciter speciem ostendat. tamen cum voluntas militum, quae super ultimo vitae spiritu deque familiaris rei decreto, quoquo modo contemplatione mortis in scripturam deducitur, vim postremi iudicii obtineat, proponatque te ac fratrem tuum ad discrimen praelii pergentes, ob communem mortis fortunam inuicem esse PACTOS, ad eum, qui superses fuisse, res eius, cui casus finem vitae attulisset, pertinerent; existente conditione intelligitur ex fratris tui IVDICIO (quod principalium constitutionum prompto favore firmatur) etiam rerum eius compendium ad te delatum esse.* Sed si accurate sensum huius rescripti perspicimus, facile patet, non comprobari eo proprie pactum successorium, at conuentioni de acquirendis a superstite bonis in proelio occisi fratris militis tanquam iudicium vltimum seu tanquam *testamentum militare* validum declarari, ex causa quod militum in periculo posita

positorum absque omni solennitate *quoquo modo* declaratum ultimum iudicium ex *prompto favore principum Constitutionum firmatum*, seu quod idem, non minus ac testamentum solenne ex privilegio valeret, iusque heredi vel legatario tribueret.

§. III.

At populares nostri ab antiquis temporibus permittebant de successione in bona post mortem valide pacisci, quod abunde probant pacta *confraternitatis* et *Ganerbinatus*, *unionis prolium* et alia. Hinc dubia exorta est quaestio: *An promissio de legato relinquendo ius alteri tribuat.* Species, ad quam haec quaestio respicit, haec est. *Titius* corpore et animo adhuc sanus cognatae suae *Caiae*, promittit, se in testamento suo eidem suas aedes legatarum, quam promissionem seu de legato relinquendo declarationem *Caia* acceptat. Post interiectum tempus vero, cum aduersa laboraret valetudine *Titius*, solenne condit testamentum inque eo *Seiae* etiam agnatae aedes suas titulo legati relinquit. Mortuo *Titio*, eius apperiebantur tabulae, in quibus non *Caiae*, ut olim promiserat testator, sed *Seiae* aedes legatae erant. *Caia* hac testatoris ultima voluntate parum contenta, in testamento nolebat acquiescere, sed litem cogitabat intendere, per quam ex pacto conductura erat aedes. Iam quaerendum: vtrum recte agere intendat *Caia*, et an *Titii* promissio ius tribuat.

§. IV.

Facile patet, nobis sermonem haud esse de ea conventionione, qua quis alteri rem donat inter vivos ea lege, ut post donatoris demum mortem rem donatam habeat. De hac specie nihil est, quod moneamus, cum ex pacto statim ius transit in donatarium, quamvis dies non prius veniat, quam existente donatoris morte. Dicimus de ea

specie, qua, qui testaturus est, promittit, se alteri acceptanti legatum relicturnum.

§. V. Si ad id respicimus, quod iuris Romani est, omnis lis statim composita, quippe neque nuda pacta obligationem producant, neque de ultimis successionebus pacisci licet. Si autem ad patrios mores nostraque respicimus iura, per quae pacta successoria non improbantur, aliter res comparata esse videtur. Forsitan itaque adfirmari possit, eiusmodi promissionem fore obligatoriam, imo ei, cui promissio de legato aliquo relinquendo factum est, ius acquiri. Ratio huius asserti in hoc posita, quod cum licitum sit, hereditatem alteri pacto relinquere, et ex pacto ius succedendi possit acquiri, quidni etiam licitum sit, legatum pacto sibi acquirere. Nihil enim certius est, ab hereditate ad legata concludi posse. Praeterea, cum pacta, quae legibus non improbantur, quamvis, nuda, nostris moribus obligent actionemque pariant, quid impedit, quominus adferamus, et huic nudo pacto inesse obligandi vim. Vix enim lex adest, quae alterius liberalitatem tantopere restringat, ut ne quidem liceat legatum promittere. Equidem non videntur iura eorum studia probare, qui alienis hereditatibus inhiant; sed illud haud ad praesentem speciem pertinere videtur, quippe testator proprio motu promissionem de legato relinquendo alteri dare poterat, nulla petitione legatarii praecedente.

§. VI. Sed quamvis haec argumenta aliquod pondus habere videntur, quae adfirmatiuam sententiam suadere poterant; tamen verior est contraria opinio, quae eiusmodi promissioni de legato relinquendo obligationem et ius potius negat. Non utar argumento ducto ex verbis

PAVLI in L. 31. π. qui test. fac. poss. Scribit. Eius bona
 qui se Imperatorem facturum heredem esse iactauerat, a fisco
 occupari non possunt. Nam praeterquam quod ICtus po-
 terat in mente habere Diui Pertinacis. A. edictum cuius
 mentio est apud CAPITOLINVM in Vita Pertinac. cap.
 VII. in hac specie non continetur promissio ab altero acce-
 ptata. Potius argumentum peti potest ex VLPIANO in
 L. 3. π. de adim. vel transf. legat. Ait: Ambulatoria enim
 est voluntas defuncti usque ad vitae supremum exitum. Cum
 enim lex mutandae vltimae voluntatis licentiam det testa-
 tori, arbitrioque eius liberalitatis determinationem libe-
 ram relinquat, ita, vt quod antea dederat, postea rursus
 adimere possit: consequi possumus, illam promissionem
 de legato relinquendo non posse tribuere ius, nec legem
 facere ei, qui liberalem se futurum promiserat, si forsitan
 postea mutauerit hunc liberalem animum, quod licebat
 vsque ad vitae supremae exitum.

§. VII. Neque ex patris moribus, quibus non improbantur
 successoria pacta argumentum in contrarium peti potest.
 Legata enim eorumque iura germanico iure ignorantur,
 vt ergo quaestiones ex hac legatorum materia omnino ex
 iure peregrino, ex quo et testamenta et Codicilli recepta
 sunt, decidendae veniant. Non enim negamus, pacto
 hereditatem vel eius partem relinqui posse. At alia causa
 est, si promissum sit, nos vel testamento vel codicillis al-
 teri legaturos esse rem. Hinc nolumus, vt ex pacto ac-
 quirat, sed potius testamentum constituimus acquirendi
 modum. Quapropter concludo, eiusmodi promissio-
 nem proprie nequidem dici posse pactum successorium,
 quippe paciscentes nolunt, vt ex pacto rem habeat alter,
 sed ex vltima voluntate, cuius naturam pactum praecedens

dens haud immutare potest, sed ambulatoriam seruat voluntatem testatori.

Obiici autem potest, promissionem esse ab altero acceptatam. Bene concedo. Sed acceptauit simul, vt non ex pacto habeat, sed ex legato. Cum vero legatum nunquam ius perfectum transferat in legatarium, nisi morte testatoris, si relictum, confirmetur: imo iura permittant, vt datum in testamento legatum iterum adimi possit, amplius vt, cum liberalitas sit, a solo arbitrio testatoris pendeat, ita vt dari et non dari possit; facile patet, consensisse acceptando eum, cui legati relinquendi promissio facta, vt nihil consequatur, quam spem se habiturum legatum. Consentit simul in facultatem mutandae suae voluntatis, quod eo facilius fieri potest, cum spem tantum ex promisso illo obtinuit. Consentit acceptando tacite, vt cum vt legatum acquirere velit, possit a testatore et dari, et non dari. Ex his omnibus puto vtique negari posse, eandem promissionem validam esse et perfectum ius producere, hinc nec actionem ex eo posse institui.



Leipzig, Diss., 1779 A17

ULB Halle

004 583 736

3



86.







A 779, 14.

AN
PROMISSIO DE LEGATO
RELINQVENDO IVS ALTERI
TRIBVAT

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

DIE XV. MAII. ANNO MDCCCLXXIX.

DISPVTABIT

CAROLVS AVGVSTVS HERRMANNVS

CHEMNITIENS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

